

1651

CODICES

1652

carpit *Jandunensis*, filium tamen utriusque phrasi scholastica juveniliter turgidum.

DCXCI.

R. 2076

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 110. f. maj. pereleganter scriptus et coloribus illustratus ita init: *Incipiunt capitula primi libri de uirtutibus moralibus editi a fratre henrico de arimino ordinis fratrum predicatorum. Agit is de Prudentia. Ita sequuntur Capitula Libri seu Tractatus II. de Justitia, III. de Fortitudine, IV. de Temperantia. Omnia haec Capitula in Lectiones distributa sunt, de quibus ad finem Indicis monetur: Predicti tituli distincti sunt per lectiones. quia liber hoc modo ad ciues uenetos in scolis fuit expositus. Parum norunt Ordinis Bibliothecarii de Autore, quem circa an. 1314. floruisse tradunt T. I. p. 523. neque plura duobus excitant Operis praesentis Exemplaria m/s. quorum alteri finis deest. Typis editum ignorarunt. Adjacet autem mihi Editio *Spirensis* cum Tabula *Thomae de Dorniberg* finita 1472. qui annus etiam Editionis fuerit, f. et *Argentinenfis* ad mox dictam expressa, et quidem continuo, cum Exemplar nostrum *Petrus Engelprecht* primus *Neostadiensis* Episcopus jam a. 1474. comparaverit. Orditur vero Codex praefixa *Henrici* forma picturata in hunc modum: *Quia secundum sententiam apostoli ad hebreos ciuitatem quam corporaliter possidemus, non**

*manentem sed transitoriam cernimus, futuram autem in eternum mansuram inquirimus, manifeste colligimus, quod homo duarum ciuitatum ciuis constituitur, terrene scilicet et celestis. Sed illius quidem, ut inde per mortem recedat, huius autem, ut semper in ea uiuendo permaneat. Tractaturi igitur de moribus hominum, de duplici uirtute humana uidelicet et diuina, per quam ad utriusque ciuitatis habitationem reddamur idonei, aliquid enarrare curabimus. Modus autem tractandi erit facilis et exemplaris, secundum quod moralis via requirit et conditio auditoris admittit. Sciendum est igitur, quod uirtus humana, que ad perfectionem uite ciuiliis requiritur, ad duo precipue ordinatur, scilicet ad moderationem passionum interiorum et ad debitam operationem rerum exteriorum. Circa que regulanda necesse est quatuor adesse uirtutes &c. Audis hominem non usquequaque barbarum; sed nec indoctum decursus probat, nec impari instituto, ita ceterarum omnium Virtutum officia ad illas quatuor dextre reducit. Velles illum modo piis narratiunculis minus indulgisse, qualis est de Femina comae nimium studiosa post obitum in poenam se peccante, quae Tractatum terminat cum addito: *Hec de uirtute morali dicta sufficiant. Deo gratias. Explicit tractatus de quatuor uirtutibus cardinalibus editus a fratre henrico de arimino ordinis predicatorum.**

DCXCII.